

Franckesche Stiftungen zu Halle

Liber Latinus In Vsum Puerorum Latinam Linguam Discentium Editus

Büsching, Anton Friedrich

Berolini, 1767

VD18 1347295X

De officiis erga alios.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

dum paucis, caeteros in ipso vitae apparatu vita destituat. Inde illa exclamatio est, vitam brevem esse, longam artem. At non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonae impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non acceperimus breuem vitam, sed fecimus; nec inopes eius, sed prodigi sumus. Breue tempus aetatis satis est longum ad bene viuendum. At sperat adolescens, diu se victurum. Insipienter sperat: quid enim est stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Quin etiam aetas illa multo plures quam senectus, mortis causas habet. Facilius enim in morbos incident adolescentes, grauius aegrotant, tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem. Quae cum ita sint, non ut diu viuamus curandum est, sed ut bene. Sapienter factis metiamur vitam nostram, non tempore.

De officiis erga alios.

Omnia officiorum, quae hominibus aliis debentur, duo quasi fontes sunt, *iustitia* et *amor*.

Justitiae enim est, aliis, quod debeas, praestare, nihil nocere, denique ne iis noceatur, quan-

quantum possis, impedire: *Amoris autem, quibus rebus honeste possis, prodesse, idque tanto cuique magis, quanto maiores aut plures amandi causas habeas.*

Quoniam homines hominum causa sunt generari, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent, communes vtilitates in medium debemus afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatem. Detrahere aliquid alteri, et hominem hominis incommodo suum augere commodum, contra naturam est. Membra sumus corporis magni. Ut vero si ynumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membra valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse est: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahaturque, quod cuique possit emolumenti, sui gratia, societas hominum, communitasque euertatur necesse est. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Justitiae duo genera sunt, vnum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus interfertur, si possunt, non propulsant iniuriam. Nam qui iniuste impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi violenter manus afferit socio. Qui autem non defendit, nec obficit, si potest iniuria, etiam est in vitio. Praetermittendae autem defensionis, deserendique officii plures solent esse.

causae. Nam aut inimicitias, aut laborem, aut sumitus suscipere nolunt, aut etiam negligentia, pigritia, inertia, aut suis studiis, quibusdamque occupationibus sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeat, desertos esse patientur. Hidum altero iniustitiae genere vacant, in alterum incurunt. Deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operae, nihil facultatum.

Homini maxime cauendum est, et prouidentum, ne de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut seuere, maledice, contumelioseque loquatur.

Absentem qui rodit amicum,
 Qui non defendit alio culpante, solutos
 Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
 Fingere qui non visa potest, commissa tacere
 Qui nequit; hic niger est, hunc tu, Germane!
 caueto.

Inhumanum verbum est, licet pro iusto receptum, *ultio*. Magni animi est, iniurias despicer. Optimus iniuriam vleiscendi modus est, ne similis sis eam inferenti. Contemnit me quisquam, ipse viderit. Ego mihi cauebo, ne quid contemtu dignum vel egisse vel dixisse deprehendar. Odit me quisquam, ipse viderit. At ego mitis esse et benevolus cuique pergam: et huic etiam ipsi, qui me odit, errorem ostendere paratus ero, non contumeliose, neque ut patientiam meam ostendam, sed benigne et ingenue:

genue: interius enim me ita affectum esse oportet, ut ipse Deus videat me eum esse, qui nihil indigne aegreue ferat.

Parentes carissimos habere debemus, quod ab iis nobis vira et educatio tradita est. Si propinquos habemus imbecilliores vel animo, vel fortuna, eorum augeamus opes, eisque honori simus et dignitati: fructus ingenii et virtutis, omnisque praestantiae, tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur.

Discipulos id vnum moneo, ut praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament, et parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio: nam ita et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent; in ipsos deinde coetus scholarum laeti et alacres conuenient; emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint carissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum, praebere se dociles, alioqui neutrum sine altero sufficiet.

Amicitiam omnibus rebus humanis antepone: nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel aduersas. Quid dulcius, quam habere, qui eum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberet, qui illis aequae ac tu ipse gauderet? aduersas vero ferre difficile esset sine eo; qui illas grauius etiam quam tu ferret. Secundas res splendidiores facit ami-

citia, et aduersas leuiores. Vna est amicitia in
 rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno
 ore consentiunt. Sine amicitia vitam esse nul-
 lam, omnes sentiunt. In amicis autem eligen-
 dis negligentes ne simus. Multorum vitorum
 atque incommodorum haec cautio est, vt ne ni-
 mis cito diligere incipiamus, neve indignos.
 Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest
 causa, cur diligentur. Rarum istud genus, et
 quidem omnia praeclara rara, nec quidquam
 difficultius, quam reperire, quod sit omni ex
 parte in suo genere perfectum. Sed plerique
 neque in rebus humanis quidquam bonum, no-
 runt, nisi quod fructuosum sit, et amicos tan-
 quam pecudes eos potissimum diligunt, ex qui-
 bus sperant se maximum fructum esse capturos.
 Itaque pulcherrima illa et maxime naturali ca-
 rent amicitia, per se et propter se experenda,
 nec ipsis sibi exemplo sunt, haec vis amicitiae
 qualis et quanta sit. Ipse enim se quisque dili-
 git, non vt aliquam a se ipso mercedem exigat
 caritatis suae, sed quod per se sibi quisque ca-
 rus est. Quod nisi idem in amicitiam transfe-
 ratur, verus amicus nunquam reperietur. Haec
 prima lex in amicitia fanciatur, vt neque roge-
 mus res turpes, nec faciamus rogati: turpis
 enim excusatio est et minime accipienda, in om-
 nibus peccatis, si quis se amici causa fecisse fa-
 teatur. Ab amicis honesta petamus, amicorum
 causa honesta faciamus, ne exspectemus qui-
 dem dum rogemur: sed studium semper adsit,
 cuncta-

eunctatio absit. Monere et moneri proprium est verae amicitiae, et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter. Nulla autem in amicitia pestis est maior, quam adulatio, blanditia, affinitatio. Vetus est lex illa iustae veraeque amicitiae, ut idem amici semper velint, neque est ullum, certius amicitiae vineulum, quam consensus et societas confiliorum et voluntatum.

Nihil est naturae hominis accommodatus beneficentia, quam etiam benignitatem et liberalitatem appellare licet. Quae enim est melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines iuuandos, tutandos, conseruandos arbitrantur? Omnis benignitas properat, et proprium est libenter facientis, cito facere. Qui tarde et diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, et tempus, et argumentum amicac voluntatis. Tarde velle, nolentis est. Propositum nobis esse debet, Dei exemplum sequi. Vide, quanta ille quotidie nostri causa faciat, quanta distribuat, quantis imbris repente deiecit solum molliat, quantis terras fructibus impletat. Omnia haec sine ullo ad ipsum perveniente commodo facit. Haec quoque homo, si ab exemplari suo aberrare nolit, seruet; nec ad beneficentiam priuato commodo ductus veniat. Pudeat ullum esse venale beneficium, cum gratuitum habeamus Deum.

F 4

Cum

Cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quam me et gratum esse et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum plurium atque excellentium. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni ciues? qui de patria bene merentes? nisi qui patriae beneficia meminerunt? qui sancti? qui religionum colentes? nisi qui meritam Deo gratiam iustis honoribus et memori mente perfoluunt. Quae potest esse iucunditas vitae, sublatis amicitiis? quae porro amicitia potest esse inter ingratos? Quis est nostrorum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cuius opes tantae esse possunt, aut unquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint? quae certe sublata memoria et gratia nulla exstare possunt.

PRAE-